

(1277) 1278, gener, 24

*Pasqual Treballador de Setcases, el seu fill Pere i la seva esposa Maria es fan persones pròpies del monestir de Sant Daniel i d'Arnau de Meixella, clergue, obtentor de la possessió de Setcases.*

ASD núm. 241, perg. orig., 205 x 185 mm, carta partida. Còpia: Llibre de capbreuacions de Setcases, f. 4.

Sciant cuncti quod ego Paschalis Laboratoris de Septemcasis et filius meus Petrus et uxor ipsius Maria, nos omnes simul cum simus liberi a domino, facimus nos homines proprios et solidos cum omni prole nostra et omnibus bonis nostris de Deo et monasterio Sancti Danielis de Gerunda et de uobis domino Arnaldo de Mexelia, clerico et beneficiato in honore de Septemcasis et de uestris successoribus in perpetuum, promittentes uobis et successoribus uestris et dicto monasterio fidelitatem in omnibus obseruare, nec faciamus seu eligamus unquam alium dominum sine uestra uel uestrorum successorum propria uoluntate, nec habitationem uillarum, ciuitatum uel oppidorum domini regis uel cuiuslibet alterius persone possimus nos deffendere uel excusare, quin semper habeamus uos et uestros successores per nostros dominos naturales, ita tamen quod non teneamur uobis uel uestris successoribus nec dicto monasterio facere unquam aliquam questiam, toltam uel forciam nec opera uel traginas uel firmancias. Preterea dabimus uobis et successoribus uestris pro recognicione singulis annis in festo Sancte Marie augusti mediam libram de cera. Uerumptamen quandocumque aliqua persona de nostro genere mascula uel femina corrupta exire uoluerit de uestro dominio possit hoc facere sine omni uestro uestrorumque successorum contradimento cum .x. solidis barchinonensibus monete ternalis, quos donet uobis et uestris successoribus pro redemptione, et nichil aliud teneatur dare uobis uel uestris successoribus pro redemptione. Et ad maiorem uestri uestrorumque successorum cautelam, quisque nostrum iuramus sponte per Deum et sancta .mi. Dei Euangelia corporaliter a nobis tacta omnia et singula ut supra dicta sunt attendere et complere et umquam in contrarium non uenire.

Actum est hoc .vrrrr. kalendas februarii anno Christi .MCCLXX. septimo.

Signum Paschalis Laboratoris, sig+num Petri filii eius, sig+num Marie uxoris eius predictorum qui hoc firmamus pariter et laudamus. Sig+num Poncii de Anglesia, sig+num Guilielmi Campsor, sig+num Guilielmi de Pomerio, baiuli in dicto honore de Septemcasis, testium. Sig+num Arnalli de Mexella, clerici supradicti qui hoc firmo\'

(s. man. )Ego Bernardus de Oliueta, ex parte mea et Simonis Stephani, cuius locum habeo, cum ambo simus publici notari Campirotundi, hoc scripsi cum literis rasis et emendatis in .xrn. linea, ubi dicitur "redempcione".

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 498-499